

www.e-rara.ch

**Psalterium Cum Canticis versibus prisco more distinctum Argumentis Et
Orationibus Vetustis, novâque litterali explanatione brevissimâ
dilucidatum**

Tomasi, Giuseppe Maria

Einsiedeln, Anno Dñi M.DCC.XXVII

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRg 63

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-50321>

Praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PRÆFATIO.

* Præfat. in
Psal. num. 9.

* Homilia vi.
de Pœnitentia
T. V edition.
Nivellianæ.

Merito Psalmus à Beato Ambrosio dicitur, * *Sermo universorum, vox Ecclesiæ*: quia ut S. Io: Chrysostomus dicebat; in Ecclesijs pernoctantibus, & primus & medius & novissimus est David. (Si) diluculo quaruntur hymnorum modulationes; & primus & medius & novissimus est David. Si pompa in funeralibus defunctorum; & primus & medius & novissimus est. Si tela in virginum domibus agitur; & primus & medius & novissimus est David. O rem inauditam! multi qui litterarum experimenta minus sumpserunt, neque ipsis edocti principijs, totum David in pectore conservant: neque in urbibus solum atque Ecclesijs (sic per omne tempus, per omnem aetatem fulget) sed in foro medio, atque ipsa in solitudine, & inhabitabili terra certatim Deo sacras stationes excitat. In Monasterijs sanctis choris Angelicarum acierum, & primus & medius & novissimus David. In cœnobijs virginum (ubi) greges Mariam imitantium: & primus & medius & novissimus est. In desertis (ubi) viri crucifixi colloquentes Deo; & primus & medius & novissimus David. Et omnes quidem homines naturali noctis somno altè premuntur: solusque David instat, atque ipsos Dei servos, in Angelicas turmas congregans, excitat totà mente: terram in cœlum vertit; & Angelos homines facit. Id quod meritissimo fit. Psalmi namque fortitudinem & majestatem Dei prædicant; & ejus semper vel beneficia vel facta mirantur: & hominum adeo demonstrat infirmitatem, ut * divini adjutorij in singulis actibus eos indigere doceant: scelera nostra redarguunt; vulnera detegunt; medicum ostendunt; & curationis viam aperiunt, cum humanos actus informant quemadmodum orandus sit Deus, atque expectorandi sint nostri animi sensus in precando. Cujus utriusque rei, nempe & divinæ Laudis, & humanæ Orationis formulas non humano sed divino magisterio Psalmi tradunt; ne in utroque humanâ ignorantia aberremus. Ob eam certè causam antiqua est Patrum sententia, ex Divinis maximè Scripturis

* Vide S. Hieronymum
lib. I. Dialogi contra
Pelagianum post
initium.

* In Psalm.
CXLIV.

* In proemio
Psalm. ex varijs
sorte ejusdem
Sancti dictis
composito, to-
mo I. colum.
613. edit. Ni-
vellianæ.
* for. in veri-
tate.

In Psalm. xxx.
enarrat. 4.

Deum esse laudandum atque precandum. Undè S. Augustinus * *Ut laus, inquit, quam illi dicimus habeat ordinem suum, ne fortè aliquo excessu quem laudat offendant; melius iter laudis in Scriptura Dei quærimus; ne ab ipsa via, nec in dexteram nec in sinistram digrediamur. Audeo enim dicere charitati vestræ: ut benè ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus: & quia dignatus est laudare se; ideo invenit homo quemadmodum laudet eum. . . . Ut enim se homo laudet, arrogantia est: ut Deus se laudet, misericordia est. Prodest amare quem laudamus: bonum amando, nos meliores efficimur. Itaque quoniam hoc nobis prodesse novit ut amemus eum; laudando se, amabilem se fecit & in eo nobis consult, quia se amabilem fecit. S. Jo: Chrysostomus * aut alius Pater dicit: Quoniam fieri non potest, ut qui sunt homines non difficultates sentiant, & atterantur afflictionibus, & in necessitates tam externas, quàm quæ à nobis in nos cooriantur incidant: utilissimum medicamentum agnoscunt animæ eorum qui sunt cum Deo locuturi * in vanitates, promptissimam in Psalmis enuntiationem ipsius S. Spiritus: qui res quidem omnes humanas praelegit; per beatissimum autem Prophetam David exposuit voces malis convenientes, per quas curari possint qui in ea inciderunt. Ità ergò quæ priùs fortè canentes percurrimus, & leviter tantùm & in superficie attingimus; cùm in necessitates & afflictiones inciderimus, tunc scimus & agnoscimus: ipsâ re quæ est in nobis, conveniens medicamentum naturaliter attrahente, & ipso etiam medicamento convenientem affectionem tamquàm propriam sibi assumente & amplectente. Hinc & beatus Augustinus ita nos hortatur: * Si orat Psalmus, orate: & si gemit, gemite: & si gratulatur, gaudete: & si sperat, sperate: & si timet, timete. Omnia enim quæ hîc conscripta sunt, SPECULUM nostrum sunt.*

Ob eas maximè causas cùm Psalmorum liber sit diurnâ nocturnâque manu versandus; diu in optatis mihi fuit, ut aliqua Psalmorum adornaretur editio: quâ facilis via rudioribus aperiretur ad Psalmos intelligendos brevi commentariolo; & ad eos piè sanctèque recitandos, accessione veterum precum ad singulos Psalmos pertinentium nova præberentur incitamenta. Intelligebam enim, quod ad intelligentiam attinet, immò experientiâ ipse meâ cognoscebam, complura

plura contineri difficiliora in Psalmis, quæ intelligentiam retardent, minusque propterea voluntatem accendant quò flagrantius oret. Legisse SS. Patrum aliorumque commentarios haud multum admodum juvabat: cum præterita & penè oblitterata ex mente lectio atque explicatio in mentem non veniret interpsallendum. Accedebat nec omnibus præsto esse istiusmodi commentarios; nec omnes fortasse satis intelligere: cum in illis plerumque bene multa, quæ ad pietatem, vel mysteriorum scientiam, & linguarum eruditionem aliarumque rerum ab Ecclesiasticis tractatoribus copiosius differantur; quæ mentem potius obruant legentium, quàm ex ijs promptè expediant difficultatibus quibus obvolvebantur. Itaque animum adjeci ad breviores explanatores Psalmorum, ut qui ad institutum meum aptior fuisset, hunc in oppellam hanc integrum transferrem. Plures clari nominis istiusmodi auctores expertus sum: quorum doctrinam pietatemque ut summis laudibus effero; ita minùs congruere operi nostro animadverti. Quærebam enim explanatorem, qui stylo simplici præse verba ipsa Psalmorum explanaret, & verba obscuriora clarioribus verbis, sed paucissimis exprimeret; quæ abstrusiora essent diceret quidem apertius; sed tamen amplissimos sinus variorum sensuum quoqueversus non explicaret: expetebam, ut unico verbo dicam, explanationem brevissimam καὶ πρόφα, litteralem, & quodammodo grammaticalem; quâ scilicet tropi atque figuræ tum orationis tum verborum, quæ modo communi linguarum vulgarium minùs usitatæ, minusque intellectæ, haud exiguum negotium psallentibus faceffunt; itemque idiotismi sive proprietates peculiare linguæ Hebraicæ vel Grecæ, redderentur apertis usitatique vocabulis, & locutionibus latinis: ut vis sub schemate vel idiotismo latens, remotis involucris & integumentis, illicò conspiceretur: tum etiam historicæ veteris Testamenti narrationes (ad quas sæpe refertur quod dicitur) & status & intentio Psalmistæ explanarentur apertius. Cum itaque nul-

lus mihi occurreret, qui quaquaversum votis meis satisfaceret: & è regione putarem hanc provinciam vires meas longè superare; velut in angustum deductus diù hæsi, quousque tandem tentata fuit à me mea ex alijs, nova ex veteribus, & rudis ex doctissimis aliorum commentarijs explanatio in gratiam cum simplicium fratrum Christianorum, tum minus peritorum Clericorum; quorum commodis utilitatiq; inservire gestiebam. Hinc aliquos Psalms experiendi gratia primùm explicui auxiliante Deo; tum aliquos, exindè alios, & paulatim omnes: quos demum cum animadverterem non prorsus alijsmodi esse, quàm instituta ratio mea postulabat, nec ab alijs improbari, in hoc opusculo exhibendos statui. Hæc de instituto meo causisq; novæ hujus explicationis nostræ.

Porro ratio quam tenui in ea elaboranda hæc fuit. Primum omnium Græcum exemplar LXX. Interpretum, unde est editio nostra Vulgata, ob oculos proposui; quo significantius ex Græco Latina vocabula, locutionesq; exprimerem: quâ in re quantum claritatis orationi accedat, exactior explicatio aoristorum temporum Græcæ grammatices vel sola probaret: cum enim tempus aoristum per varia tempora maximè præterita, sive imperfecta, sive perfecta, sive plusquam ut dicunt perfecta indefinitè vagentur: si Latinè reddatur proprijs temporibus, quæ locus exposcit, lucidiorem totius narrationis seriem ordinemq; demonstrat. Post Græcum exemplar expensum, unde nostra (ut dicebam) editio immediate manavit, in aliam B. Hieronymi interpretationem ex Hebræo animum semper intendi, si quo modo novam inde lucem acciperem, quò clariùs uberiusq; LXX. Seniorum textum illustrârem quidem, sed in sensus alios remotiores non extenderem; tum quia prolixos commentarios non scribimus; tum etiam quia non ignoramus quanta sit obscuritas linguæ sanctæ arctissimæ pariter ac sæcundissimæ, maximè si vocalia puncta dempseris, tum etiam præ;

ter alias diversæ lectionis causas, illud animadvertere, non habere nos Vocabularia Hebraica ante adventum Christi conscripta, quæ vim vocabulorum ejusdem linguæ declarent, dicantque vocabulum unum, exempli gratiâ, tria tantum significare, & non adhuc aliam quartam habere significantiam, quam expresserunt LXX. viri Hebræi doctissimi: in quorum interpretatione (ut nihil dicam de Hebræis Hellenistis sive ante sive post adventum Christi) tota retro antiquitas Christiana ab Apostolis usque semper acquievit ubique locorum. Consultis itaque duobus illis fontibus, alios quoque auctores adhibui, sed in primis Cornelium Jansenium Episcopum Gandavensem, & Gilbertum Genebrardum, quorum sæpè & verba ipsa usurpavi, dolens tantis viris hoc in opusculo non dari totum locum; propterea quòd ille paulo latius, alter verò paulo intricatius ob varias explanationes sacri contextûs, frequentesquæ allegationes Patrum vel Rabbiorum, minùs apti essent ad rationem operis nostri.

Porrò noster hic commentariolus interpretatione continuâ, non solâ locorum difficultium explicatione confectus est; quia in Psalmis visum est id penè necessarium: cùm enim metro sive rythmo scripti fuerint; ut in omnium linguarum poemate numeris adstricto contingit, necesse est multa vocabula suppressi, maximè quæ ad causales, continuativas, vel expletivas &c. particulas attinent: quæ nisi suppleantur in soluta oratione, disiunctus hiansque sermo decurret, totaque series orationis interfecabitur in animis legentium. Qui integram hanc Psalmorum explicationem identidem legerint, hi certe utilitatem haud exiguam fortassis capient ex ea: qui & ut promptius etiam inter psallendum possint ea tantùm loca inspicere, in quibus aliquod obscurum occurrit, quod licèt antea intellectum, memoriâ tunc temporis non retinetur; tota interpretationis series numeris est distincta, qui respondeant versuum psalmorum numeris: ut quotum Psalmi versum quæ sive-

ris; sub eodem numero illum explicatum reperias in expositione: ob hanc enim solam causam numeri apposti sunt in singulis versibus Psalmorum præter morem codicum mss. tum Græcorum tum Latinorum; quos sanè numeros prætermissem, si purum Psalmorum contextum sine explicatione exhiberem.

Cur autem hoc imum genus litteralis sive historici sensûs aggressus fuerim; in causâ fuit quòd is sit veluti basis ac fundamentum, supra quod cæteri sublimiores sensus consurgunt; & veluti rudimenta prima discantium, quibus præmissis ad profundiora Divinæ Sapientiæ mysteria penetrant. Et sanè ut vetusti cujusdam Auctoris * verbis utar:

* In Opusculo
De providen-
tiâ Divina, in-
ter opera S.
Prosperi.

Promptum esse ventis dare libera vela secundis:

Sed quoniam rudibus metus est intrare profundum;

In tenui primùm discant procurrare rivo.

Sic tamen istiusmodi explanationem temperare conatus sum, ut facili negotio possit aptari ad sensum mysticum & moralem. Quosdam tamen Psalmos apertè explicavi de Christo: quia tam evidenter apparebat in eis, ut qui Psalmistæ personam illi opponere velit; non Psalmum illustrare, sed obscurare magis videatur, lucernaque lucem quærere rutilante sole meridie. Porro ne aliqua saltem deesset vel brevis manu ductio ad secretiora mysteria sensaque Psalmorum tum de Christo, & ipsius corpore Ecclesiâ universâ, & particularibus hujus corporis sive collegij membris id est fidelibus, tum etiam de cælesti Patria: quos sensus rectè appellaveris *sensus Christianos*, patefactos nobis tamquam scissio Templi velo morte Christi; qui Apostolis aperuit sensum ut intelligerent Scripturas, & quæ scripta sunt in Lege Moyse & Prophetis & PSALMIS de ipso: ne istiusmodi, inquam, manu ductio deesset, quâ summatim saltem etsi non particulatim mysticè explanarentur Psalmi: præposui singulis Psalmis argumenta & divisiones textûs cujusque Psalmi, quæ venerabilis Beda ex Cassiodoro alijsque Auctoribus collegit; quæ & collata cum ms. codice

Pala-

Palatino Num. 39. in Vaticana Bibliotheca, nunc commendatiora & auctiora prodeunt. Hæc certè Argumenta ad hanc rem haud parum juvabunt lectorem; maximè si regulas illas generales Ticonij, quas B. Augustinus abbreviavit in lib. *De Doctrina Christiana*, ob oculos habuerit; vel ita ejusmodi sensus mysticos exquirat, ut non scrupulosius singula dicta Psalmistæ attribuantur Christo vel Ecclesiæ sive animæ fideli; sed paulò generalius res rebus potiùs attribuantur: cum semper imago & simulachrum, ut est sensus literalis & historicus Psalmorum, aliqua propria retineat, quæ minùs conveniunt personæ vel rei significatæ per imaginem: sic picti colores in tela imaginem hominis figurant; qui viventi hominialiter insunt, cujus *cum illa* (ut verbis utar S. Augustini) *est similitudo in magna disparilitate*. Hinc via expeditior ad intelligendos Psalmos minus exercitatus dabitur; quemadmodum interpretes faciendum docent in explicatione Evangelicarum parabolarum: in quibus plura ad solum pertinent illarum ornatum, quò tenacius ex illis circumstantijs memoriæ infigantur. Quare satis fuerit persecutiones Psalmistæ verbi gratiâ, ad persecutiones Christi ejusque membrorum generatim aptare, liberationes ad liberationes, orationes ad orationes &c. ut aliqua interim propria relinquatur Psalmistæ, qui imago & simulachrum Christi fuit & Ecclesiæ.

Præter argumenta Bedæ, pro ijs quibus inter psallendum ea legere fortè non vacaverit, aliæ duæ brevissimæ appositæ sunt Periochæ Eusebij Cæsariensis ex Biblijs polyglottis, & duobus mss. Codd. Vaticanis Num. 341. & 342. & S. Athanasij ex epistola ad Marcellinum, additâ tertiâ epigrapha ad quam materiam potissimum spectet Psalmus an ad meditandum, an ad precandum, an ad laudandum vel gratias agendas: * *ut omnis qui eum psallit, sciat cui psallit, quare psallit, & quid psallit*. Ut autem hæsitatio omnis in Periochis hisce præsertim S. Athanasij auferatur, quidnam scilicet sit discriminis inter *ἔντευξιν* Interpel-

*In expositione Psalm. xc. tomo v. S. Jo: Chrysostomi edit. Nivellianæ.

* 1. 2.

lationem, *δέσινω* Deprecationem, *προσευχὴν* Orationem: sciendum est hæc distingui secundum B. Paulum Apostolum scribentem ad Timotheum: ubi totum precandi officium in quatuor partes distinguit: Obsecro igitur, inquit, primum omnium fieri *δέσεις* Obsecrationes sive Deprecationes, *προσευχὰς* Orationes, *ἐντεύξεις* Postulationes sive Interpellationes, *εὐχαριστίας* Gratiarum actiones. In quem Apostoli locum scribens Theodoretus Episcopus Cyri, hæc ita discriminat. *δέσεις* Obsecratio quidem, sive Deprecatio est ad malorum quorumpiam depulsionem oblata supplicatio. *προσευχὴν* Oratio autem est bonarum rerum petitio. *ἐντεύξεις* Postulatio autem sive Interpellatio, Accusatio injuriam inferentium. Est autem nobis colluctatio non adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus principes hujus sæculi, adversus spiritualia nequitie in caelestibus: adversus hos justum judicem adimus interpellantes, & justum auxilium petimus. *εὐχαριστία* Gratiarum autem actio Deo offertur pro bonis quæ nobis jam obtigerunt.

Quod ad sensum moralem sanctosque animæ Christianæ affectus attinet; præterquam quod sæpe id illustretur argumentis laudatis, Orationes quæ singulis Psalmis subjunguntur, ad idipsum maximè conducunt: quæ quod pijs affectibus accommodum, per longam Psalmi narrationem erat diffusum, breviter contrahunt; quò ferventiùs ex intimo corde, haustus ex Psalmo spiritus se effundat in preces, ut vitia extirpentur, inseranturque virtutes divinæ imploratâ manu omnipotentis Dei. Antiquissimi sanè moris est post singulos Psalmos humi strato corpore (exciperem dies Dominicos tempusque Paschale) adorare Deum, precarique brevissimè: quo de ritu sic legitur in tractatu de Virginitate, sive S. Athanasij, sive alius cujuspiam antiqui Patris: Tot Psalmos dices, Virginem alloquitur, quot poteris: & ad quemlibet Psalmum preces & genuum inflectio cum lacrymis addatur, pronuntiando Domino peccata tua, orandoque ut tibi remittantur: & post tres Psalmos absolutos, dices Alleluja. Quod si virgines tecum fue-

runt:

* Lib. II. de
Institutis Cœ-
nobiorum
cap. v.

runt: & illa quoque psallant; & singulæ singulas preces effun-
dant. Apud Cassianum totus hic ritus, ut apud Æ-
gyptios Monachos servabatur, Angelo etiam cum
morem comprobante, sic traditur * *Cum sedentibus cun-
ctis* (ut est moris nunc usque in Ægypti partibus) & in psallen-
tis verba omni cordis intentione defixis, undecim Psalmos ora-
tionum interjectione distinctos, contiguis versibus parili pronun-
tiatione cantasset; duodecimum sub Alleluja responsione consum-
mans, ab universorum oculis repente subtractus, questioni pari-
ter & ceremonijs finem imposuit. Et cap. VII. Has igitur præ-
dictas Orationes hoc modo incipiunt atque consummant, ut fini-
to Psalmo non statim ad incurvationem genuum corruant; quem-
admodum facimus in hac regione nonnulli, qui nedum bene
finito Psalmo in orationem procumbere festinamus, ad celerita-
tem missæ quantocyus properantes. . . . Apud illos ergo non ita
est: sed antequam flectant genua, paulisper orant: & stantes
in supplicatione majorem temporis partem expendunt. Itaque
post hæc puncto brevissimo procidentes humi, veluti adorantes
tantum Divinam clementiam, summâ velocitate consurgunt:
ac rursus erecti expansis manibus eodem modo quo prius stantes
oraverunt, suis precibus intentius immorantur. Humi nam-
que diutius procumbentem non solum cogitationibus, aiunt,
verum etiam somno gravius impugnari. . . . Cum autem is
qui orationem collecturus est, è terra surrexit, omnes pariter
eriguntur: ita ut nullus nec antequam inclinetur ille, genu fle-
dere; nec cum à terra surrexerit, remorari præsumat: ne non
tam secutus fuisse illius conclusionem qui precem colligit, quam
suam celebrasse credatur. Hæc porro collectio & con-
clusio precis à Sacerdote fiebat: unde cap. X. *Nul-
la*, inquit, vox absque Sacerdotis precem concludentis auditur.
Hæc paulo latius retulimus; ut morem nostris tem-
poribus obsoletum cuncti noverint explicatius; qui-
que voluerint privatim etiam imitentur. Cæterum
num istiusmodi collectio sive conclusio Sacerdotis
fuerit aliqua precatio ex Psalmo decantato excerpta,
sive ex tempore dicta, sive ex aliquo libro recitata;
aut generalis tantum aliqua conclusio precationum,
verbi gratiâ, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, vel
quid aliud simile: arbitror quantum in re tam ob-

scûra conjectare possum; hoc postremo potius modo voce clarâ Sacerdotis fuisse collectas atque conclusas secretas cunctorum adstantium preces: cum nuncusque nullum vestigium deprehenderim orationum ex Psalmis confectarum apud Grecorum vel Orientalium rituales libros, vel tractatus Patrum. Itaque istiusmodi Orationes de Psalmis, quales sunt quæ ad præsens edimus, primùm institutæ fuere in Occidente. In Concilio Agathensi anno DVI. canone 30. præscribitur, ut *post Antiphonas, Collectiones per ordinem ab Episcopis vel Presbyteris dicantur.* Id quod nunquam intelliges, nisi ritum psallendi Galliarum antiquum pernoveris, quem in præsentī (aliquibus tamen immutatis) repræsentat Breviarium Mozarabum, Hispaniarum scilicet ritûs antiqui, consimilis omnino prisco illi Gallicano veteri. Eo in Breviario antiphonæ habentur cum accessione plurium versuum post quos repetantur: quæ ut plurimum ex Psalmis aut ex Prophetis sunt desumptæ. Hisce Antiphonis singulis Orationes subjunguntur ex eodem ipso Psalmo decerptæ, unde Antiphona proximè cantata excerpta fuerat. Has orationes cum animadverteremus aptissimas esse ad institutum nostrum, collegimus: suoque proprio Psalmo hoc in opere attribuimus: rem gratissimam nos facturos pio lectori arbitrantur, si hisce pulcherri- mis æque atque pijsimīs precationibus, ipsius excitaremus animum ad orandum Deum flagrantius æquè ac fructuosius. Porro quod attinet ad Auctores harum Orationum, antiqui planè sunt: meminerunt enim non raro Gentilium & Arrianorum tamquam suo adhuc tempore perdurantium: id quod vix referri potest ad tempora Sarracenicā, quæ regnum Gothicum exceperunt. S autem Leandrum, aut Conantium, vel omnium aut certè ex parte majore auctores, esse harum Orationum pro certo habeo. *Leander enim, inquit S. Isidorus, ex Monacho, Hispalensis Ecclesiæ Provinciæ Beticæ constitutus Episcopus.... In toto Psalterio duplici editione Orationes conscripsit.* Conantius autem, ut beatus scribit Ildephonsus, *post Marullanen Ecclesiæ Polentine sedem adeptus est... Orationum libellum de omnium decenter scripsit proprie-*

* Lib. de viris
illustribus.

Lib. de viris
illustribus.

* In collectio-
ne Concilio-
rum Hispaniæ
pag. 774.

tate Psalmorum. Latent quoque fortassis aliquæ Orationes Salvi Abbatis inter hæc Mozarabicas. Orationes: de quo scriptor Anonymus apud Garfiam Joayfa * hæc tradit: *Salvus Abba Albeidenſis Monasterij. cujus oratio in hymnis, Orationibus, versibus ac Missis, quas illustri ipse sermone composuit, plurimam cordis compunctionem, ac magnam suavitatem legentibus audientibusque tribuit. Obijt temporibus Garſeani Christianissimi Regis, & Theudemiri Pont. IV. Idus Febr. æra millesima, hoc est anno 962. Quod si causam lector inquirat, cur pluribus in Psalmis Hispanicæ hæ Orationes non habeantur: promptum est dicere; quia eæ tantum nunc exstant eo in Breviario Orationes ex Psalmis, quæ Antiphonis ibidem positæ respondeant: quare ubi nulla in illo occurrit Antiphona ex aliquo Psalmo decerpta, ex eodem confecta Oratio ibi locum habere non potest. Cum contra unus quandoque Psalmus complures habeat Orationes; quia pluries in diversis Officijs ex eo Antiphona cantatur. Has orationes Episcopi vel Presbyteri, ut in laudato Concilio Agathensi dicitur, recitabant post Antiphonas, respondente congregatione tota Fidelium bis Amen: ut videre est hic in ipsis Orationibus. Quæ de responsione & illud obiter indicabo (quod minimè animadversum est à scriptoribus sacrorum Rituum) quod absente Episcopo vel Presbytero, ejusmodi Collectiones sive Collectæ aut omittebantur omnino; aut saltem non respondebatur ab adstantibus, Amen, ne quidem Diacono ipsi oranti: cum id verum fuerit olim in culpam Diaconorum, quod facerent sibi orantibus responderi. Nunc enim, inquit vetustissimus Auctor * quæstionum ex utroque Testamento, videmus Diaconos temere quod Sacerdotum est agere per convivia; & in Oratione id velle ut respondeatur illis: cum istud solis liceat Sacerdotibus.*

* Quæst. 107.
tomo 3. Sancti
Augustini
ultimæ edi-
tionis.

His Orationibus Mozarabum alia Oratio præmittitur ex mss. Codd. Vaticanis emendatior, aliàs edita à Georgio Cassandro in Collectione precum Ecclesiasticarum, & à Ludolfo de Saxonia & in commentario S. Brunonis Episcopi Herbipolensis in Psalmos.

Scribit Rainerus Monachus Leodiensis, qui vixit cir-
ca annum Domini MCXXX. in vita S. Volbodonij
Episcopi Leodiensis mortui anno MXX hunc san-
ctum virum propriâ manu scripsisse librum Psalmo-
rum: in quo unicuique Psalmo compositam ex eodem, & à se di-
ctam subiecit orationem. Sed quominus arbitrer Ora-
tionum harum nostrarum illum S. Antistitem aucto-
rem fuisse, impedimento est stylus Orationum, ac-
cedens quàm proximè ad antiquam illam priscarum
Orationum pulcherrimam concinnitatem, quam su-
periori sæculo vir litteratus & studijs linguæ latinæ
deditus summis laudibus extollebat: tum etiam illud,
quod ex vocabulis Psalmorum Editionis Romanæ
compositæ sint; cujus profectò Editionis longè antè
defierat in Gallia atque Germania generalis usus teste
Waldfrido Strabone. Accedit quamplures ex his Ora-
tionibus haberi apud Alcuinum in suis Officijs per Fe-
rias. Quæ sanè omnia ostendunt auctorem harum
precum antiquiorem fuisse sæculo saltem VIII. Post
eas Orationes sæpè ultimo loco adjungitur alia *Oratio*,
vel *Benedictio* deprompta ex Commentario in Psal-
mos; qui si non est B. Hieronymi, Auctoris certè est,
cujus ætas in Hieronymi tempora incidit: ut elucet
ex ijs, quæ diversis in locis dicuntur in eodem com-
mentario.

Restat, ut quid factum sit in contextu ipso Psalmo-
rum, (id quod fortè primo loco dicendum erat) hoc
loco exponamus. Cùm hæc nostra Vulgata Editio, ius-
su Sixti V. & Clementis VIII. emendata secundam bea-
ti Hieronymi emendationem repræsentet; visum est
eundem sequi S. Doctorem, in ea, quam ipse ad illam
emendandam adhibuit diligentia: nam præterquam
quod multa librariorum menda in Psalmis trans-
latis ex LXX Interpretibus correxit; aliqua præterea
ex Theodotione addidit, quæ deerant in illorum e-
ditione: quæ ne confuse commixta manerent cum
interpretatione LXX. Interpretum, intra asteriscum
X & duo crassiora puncta conclusit. Rursus quæ in
LXX. Interpretibus redundabant, utpotè quæ in ex-

emplari-

emplaribus Hebraicis suæ salutem ætatis non exstabant; ea istiusmodi obelo $\div$ & duobus item punctis connotavit: ut ipsemet scribit ad Paulam & Eustochium in epistola præfixa à se emendato Psalterio: quam & infra habes ante primum Psalmum. Unde discimus in exemplaribus Latinorum usque ad B. Hieronymi tempora, vel in tota Scriptura veteris Testamenti, aut saltem in Psalterio perdurasse puram editionem Latinam factam ex LXX. Interpretibus: (si menda scriptorum, & variarum versionum Latinarum exceperis) alioqui quid novi fecisset Hieronymus, si quod jam in usu erat Latinorum, additamentis ex Theodotione Psalterium illustrasset? Eiusmodi obelos $\div$ & asteriscos $\times$ Hieronymianos hoc in opere exhibemus: qui tamen jam editi erant in commentario B. Brunonis Episcopi Herbipolensis curante Joanne Cochläo anno MDXXXI. ut in alia quoque editione Romana Psalterij, quam sub alio licet meo cognomine vulgavi anno MDCLXXXII. ubi illos ex aliquibus mss. Urbis exhibui. Ex qua editione, ut ex primo item tomo B. Hieronymi impresso Parisijs anno MDCXCIII. curâ doctissimorum virorum, quos cum honore nomino, domnorum Joannis Martianay, & Antonij Pouget Monachorum è Congregatione S. Mauri (quorum eruditissimis laboribus in tam grandi opere impensis multum adjuti sumus) eosdem rursus hic repræsentamus.

Præter eam distinctionem ex obelis & asteriscis, commodum visum fuit & aliud discrimen usurpare in forma modoque characteris; nam cum plura eloquantur Psalmi aliorum dicta, veletiam propria Psalmistæ, quæ se asserit dixisse, aut dicere; quò evidentius ea à psallentibus primo statim conspectu internoscerentur, impressa sunt caractere diverso, inclinato scilicet, haud rotundo. Cum autem commutantur ex abrupto interlocutores in Psalmo, novæ tum periochæ exordium majoribus litteris

teris expressus est, addito in margine nomine personæ quæ interloquitur. Quæ majoris perspicuitatis gratiâ, ad commoditatem utilitatemque psallentium sunt adhibita.

Cæterùm vetus distinctio versuum, quam sequuti sumus in Psalmis, cum ob suam antiquitatem, tum utilitatem magnam prætermittenda non fuit. Et sane quod ad utilitatem attinet: ea tanta est, ut B. Hieronymus * quod in Demosthene & Tullio solebat fieri, ut per cola scriberentur & commata; ipse novo scribendi genere faceret, ut Prophetæ quoque versibus describerentur, providens utilitati legentium: * nam per cola scripti & commata, manifestiorem legentibus sensum tribuunt. Certè experientia ipsa docet ex hujusmodi distinctione quàm dilucidior percurrat oratio; maximè si usu prisco pronuntietur, ut veteres Grammatici Donates, Sergius, Fortunatianus, Diomedes, alique docent: nimirum ut juxta varias posituras sive distinctiones orationis, quæ inter legendum dant copiam spiritûs reficiendi, ne continuatione deficiat; ita respiretur à legentibus, ut simul ipsâ vocis suspensione in ultimis syllabis colorum & commatum, sententiam sive periodum adhuc pendere monstretur; *cujus membra* ut * scribit S. Augustinus, *suspenduntur voce dicentis, donec ultimo finiatur*: nam ut idem docet, *suspensâ pronuntiatione distinguendum est*. Porro quantum obscuratur in Ecclesijs sacrarum lectionum intelligentia imperitiâ lectorum, ejusmodi pronuntiationis neglectu: tantum illustratur rectâ pronuntiatione recitantium; qui varietate vocis, tamquam diversis coloribus expressiorem imaginem rerum quæ dicuntur, sub mentis oculos ponunt tam sibi, quàm toti coetui audientium. Ob eam causam nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem hanc veterem Psalmorum veteri scribendi modo distinximus; veteri, inquam, modo, nam antiquissimus est mos scribendi Psalmos per versus tum apud Græcos, tum apud Latinos. Ex sacris Biblijs libri septem nempe Psalterium, Proverbia, Canticum canticorum, Ecclesiastes, Job, Sapientia,

* Præfat. in
Esaïam.

* Præfat. in
Ezechielem.

* Lib. II. de
doctrina Christi-
ana. cap. vij.
num. II.

* Hujus Hebraicæ distinctionis signum est accentus *Arb-nach* in toto corpore Hebraicorum Bibliorum cum Masoretica interpunctione.

entia, & Ecclesiasticus per versus scribebantur antiquitus: & nullus dubito quin à LXX. Interpretibus ipsis juxta vetustissimos suos codices *Hebraicos id factum fuerit in quinque libris prioribus, & in duobus posterioribus à suis Auctoribus: id quod propterea factum puto, quia vel metri alicujus genere, vel ad modum sententiarum brevium & apophthegmatum, styloque cæso membratim fuerint conscripti. Ad Originem Presbyterum certè id rei minimè referri potest: cum is non septem modò, sed reliquos etiam veteris Scripturæ libros non quidem in versus, sed in cola, hoc est in membra grandiuscula distinxerit. Qua de veteri distinctione versusum cum pluribus egerint laudati DD. Jo: Martianay, & Ant: Pouget (qui etiam indicant haberi in Bibliotheca Regis Christianissimi volumina Hebraica Job & Psalmorum hujusmodi antiquis versibus brevioribus interpuncta) in præsentia contenti erimus huc tantùm afferre vetera aliqua Testimonia Græcorum & Latinorum de antiqua hac distinctione versusum in Psalmis: quæ maximè in cantu Responsorio olim frequentissimo in Ecclesia retinebatur, ut ex S. Augustino mox videbimus.

Sanctus Gregorius Nazianzenus Carmine de Scripturæ libris. *Libri vero per versus scripti sunt quinque: quorum quidem primus Iob, deinde David, mox tres Salomonici, Ecclesiastes, Canticum & Proverbia.*

Sive idem, sive S. Amphilochius Iconij Episc. in Carmine Iambico ad Seleucum. *Tum per versus scriptos libros enumerabo: coronatum certaminibus variarum afflictionum Iob; librum Psalmorum convenientem animarum medicinam; & tres sapientis Salomonis, Proverbia, Ecclesiastem & Canticum canticorum.*

S. Epiphanius libro de ponderibus & mensuris nu. 4. *Quinque per versus scripti: liber Iob, deinde Psalterium, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum canticorum.* Quibus paulo post & alios duos libros item scriptos per versus conjungit, nempe *Sapientiam Salomonis & Sapientiam Jesu filij Sirach.*

S. Cyrillūs Episcopus Hierosolymitanus Catechesi IV. Illuminatorum. (*Libri*) scripti versibus sunt quinque: Iob, liber Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum canticorum.

S. Joannes Damascenus lib. IV. de Fide orthodoxa cap. 18. Tertius porro librorum quinquernio versibus constat: nempe liber Iob, Psalterium, Proverbia Salomonis, ejusdem Ecclesiastes, & Cantica canticorum.

Porrò versus de quibus hi Patres loquuntur non alios esse, quàm hosce breviusculos, quos hoc in opere exhibemus, paraphrasis Apollinarij in Psalmos & codd. vetustissimi Vaticanus & Alexandrinus, consentientibus versionibus Syriacis & Arabicis in argumentis Psalmorum, quæ prostant in Biblijs polyglottis, apertissimè demonstrant: & horum quoque Latinorum Patrum auctoritas comprobatur.

S. Hieronymus in præfatione in Esaiam ad Paulam & Eustochium: Nemo cùm Prophetas versibus viderit esse descriptos, metro es existimeto apud Hebræos ligari; & aliquid simile habere de Psalmis & operibus Salomonis. Idem in epistola ad Suniam & Fretelam: Decimo septimo Psalmo, Grando & carbones ignis: & queritis cur Græci istum versiculum secundò non habeant interpositis duobus versibus. Unde evidenter apparet in Latinis etiam codicibus locum hunc Psalmi quatuor versibus fuisse distinctum: quorum primus erat, Grando & carbones ignis: secundus, Et intonuit de celo Dominus: tertius, Et altissimus dedit vocem suam: quartus verò iterum, Grando & carbones ignis. Et infra: In eodem (Psalmo LXVIII.) Regna terræ cantate Deo: psallite Domino: & dicitis hoc in isto versiculo non esse scriptum Psallite Domino, quoniam statim sequitur post diapalma: Psallite Deo qui ascendit super cælum cæli ad orientem: cùm iste versiculus magis habere debeat juxta Hebraicam veritatem, Cantate Deo, & psallite Domino: & illud quod sequitur in principio verius alterius, Psallite Deo: non sit in libris authenticis, sed obelo prænotatum. Hic duo versus inter-

interjecto Diapsalmate numerantur, qui unum constituunt versum in codicibus posterioris ætatis. Idem in proemio libri XVI. in Esaiam: *Mibi non parvam quasiunculam detulisti quodd scilicet octo versus, qui leguntur in Ecclesijs, & in Hebraico non habentur, tertij decimi Psalmi, Apostolus usurparit scribens ad Romanos: Sepulchrum patens est guttur eorum: Linguis suis dolosè agebant &c. Nam duo primi versus: Sepulchrum patens est guttur eorum: Linguis suis dolosè agebant; quinti psalmi sunt. Tres autem versiculi qui sequuntur: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Contritio & infelicitas in vijs eorum: Et viam pacis non cognoverunt, in Esaiâ Propheta reperi. ... Ultimus autem versus idest octavus, Non est timor Dei ante oculos eorum; in trigesimi quinti Psalmi principio est.*

Idem sive quispiam alius cum eo ætate conjunctus Auctor Commentarij in Psalmos, quatuor versus numerat Psalmi CXVI. quos nos binis tantum versibus complectimur. *Iste Psalmus, inquit, parvus habetur numero versuum, sed magnus est in spiritualis mysterij sacramento. Vocem tamen Apostolicam tenet: qui juxta normam Evangelicam, in quatuor versuum numero continetur.*

S. Augustinus in enarratione secundâ in Psalm. XXI. de Donatistis loquens. *Putas ibi ponunt aures, quando Lector ipsorum dicit: Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terræ? Eja fortè unus versus est: aliunde cogitabas, cum fratre tuo fabulabaris, quando illud dixit: attende quia repetit; & surdos pulsas: Et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium. Adhuc surdus est, non audit: pulsetur iterum: Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Tres istos versus tenete fratres &c. Ex quo loco (ut id non prætermittamus) apparet in cantu Psalmi Responsorij olim tum in Oriente, tum in Occidente usitatore, in quo Lector præcinebat versus, & populus eisdem ipsos respondendo repetebat; usur-*

patum fuisse antiquam illam versuum distinctionem qui breviores erant; non alteram sequentis ævi versuum paulò prolixiorum: quod minimè animadvertam cum agerem de ejusmodi Psalmo Responsorio in præfatione ad Responsorialia & Antiphonaria antiqua Ecclesiæ Romanæ, à me sub alio meo cognomine ut in alijs quoque libris feci, edita in hac Urbe anno MDCLXXXVI. Nam præterquam quod id postulabat ratio ejusmodi institutionis, nempe ut rudis populus Psalmos caneret, quos nec de libro legeret, nec memoriâ teneret; unde & necesse erat verba ei pauca præberi repetenda, ut membratim cæsimque totum Psalmum percurreret: locus iste laudatus S. Augustini id satis indicat. Ex quo S. Doctore tractat. XXII. num. 5. in Joannem item discimus, unum eundemque versum brevem licet, fuisse aliquando membratim divisum ad populi faciliorem responsionem, posito versu (ut ipse loquitur) in Diapsalmate: ejus hæc sunt verba. *Audit forte aliquis dicentem, Judica me Deus; & miratur: solet enim homo dicere, Ignoscat mihi Deus; Parce mihi Deus: quis est qui dicat, Judica me Deus? & aliquando in Psalmo versus ipse in Diapsalmate ponitur; qui præbeatur à Lectore, & respondeatur à populo: non fortè alicui cor percutitur, & timet cantare Deo & dicere, Judica me Deus? & tamen cantat populus credens; nec putat se malè optare, quod didicit à Divina lectione: etsi parum intelligit, credit aliquid boni esse quòd cantat. Et tamen & ipse Psalmus non dimisit hominem sine intellectu: sequutus enim verbis posterioribus ostendit quale judicium diceret quia non est damnationis, sed discretionis. Ait enim, Judica me Deus. Quid est, Judica me Deus; & discerne causam meam à gente non sancta? Hæc ille. Cæterùm quando coeptum fuerit plures istiusmodi concisè distinctos versus conglutinari: puto hoc per id temporis factum, quod intercessit ab ætate S. Augustini ad Cassiodorum: cum hic in suo in Psalmos commentario longiusculos versus ex duobus vel pluribus angustis illis priscis versibus coactos*

coactos enumeret; ut præsertim videri potest in proemio Psalmi XIV. & Psalmi CXVI. & CXVII. Invaluerat scilicet per ea interstitia temporis mos cantandi Psalmos antiphonatim, hoc est, alternis choris Clericorum, vel Monachorum; ad quod institutum aptiores sunt versus minus angusti: cum jam desuësceret paulatim cantus responsorius Psalmi; quem præcinente uno Lectore populus totus in Ecclesia respondebat. Itaque cum tam authentica sit ejusmodi distinctio versuum in Psalmis ab antiquissimis usque temporibus, tamque utilis ad intelligentiam quoquo tempore; meritò eam & nos secuti sumus in hoc opere juxta antiquissimum cod. Græcum * Vaticanum, cum jam ex cod. Alexandrino consimilis distinctio prodierit: ut collatâ utriusque cod. distinctiōne, ex utroque possit agnosci prisca distinctio; & horum uterque alterum emendare. Haud tamen ignoramus Latinè per versus editos jam Psalmos à Jacobo Fabro Stabulensi: sed cum in sua præfatione apertè non dicat ex fide mss. codd. distinxisse versus, immò potius prout distinctio requirebat, & ut majores nostri facere consuevère: longè melius arbitrati sumus vetustissimum codicem Græcum, cujus distinctio nondum lucem aspexit, quàm excusum sequi Fabri Psalterium.

Et hæc quidem satis de causis rationibusque editionis hujus Psalmorum: quorum instar & Cantica aliaque sunt hîc item excusa: in quibus quidquid notandum occurrit, suis id locis factum est. Porro explanationes Canticorum, cum mihi non vacaret, consimiles explanationibus Psalmorum facere nequivi: sed ne sine ulla prorsus interpretatione prodirent, scholia illis subjunxi brevissima Emanuelis Sà Societatis Jesu.

Restat ut mihi Lector ignoscat in erratis meis. Si in hac opella nec mihi planè placeo: quid mirum si

*Continet hic codex Psalmos, Proverbia, Ecclesiastem, Canticum, Job, Sapientiam Salomonis, & Sapientiam Sirach descripta per verius.

alijs doctis eruditisque viris id multo magis futurum existimem? Dedi ex tenuitate mea quantum mihi Dominus suâ sibi placitâ mensurâ contulit: si ex meo labore alij vel pauci rudiores ad intelligentiam, vel spiritu ferventiores ad pietatem profecerint, id mihi fuerit satis. Hi si cûm hoc opus viderint, glorificaverint Patrem nostrum qui in cœlis est, ego satis contentus ero.

